

No. 391. 1326. Mai.

B. Withego II. und das Capitel genehmigen die durch den ewigen Vicar Hermann von Leuben der Marienkirche zu Leuben gemachten Zuwendungen an Geld- und Getreidezinsen zu Hofchin und die über deren Verwendung getroffenen Bestimmungen.

Nos Wythigo dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus recognoscimus et ad universorum tam praesentium quam futurorum volumus notitiam pervenire, quod dominus Hermannus de Lubyn dictae Misnensis ecclesiae perpetuus vicarius, cupiens auementare proventus ecclesiae sanctae Mariae in Lubin^{a)} olim suae, apud honestum virum Henricum de Slinitz conpatrem nostrum dilectum in villa Hofchin^{b)} duo talenta Vribergensium denariorum annui census praeter viginti sex denarios, tertium dimidium modium tritici, viginti pullos et quinquaginta ova pro augmento dotis dictae ecclesiae in Lubin sua pecunia comparavit, ut sacerdos qui pro tempore fuerit, sui et parentum suorum, tam in ambone quam in canone mentionem semper faciat specialem, et ut unam missam de beata virgine in sabbato et unam pro defunctis feria secunda pro remedio animarum eorundem celebret singulis septimanis; insuper anniversarium dicti domini Hermanni, quando de medio vocatus fuerit, cum vigiliis et missa peraget et panem, quantum de uno modio siliginis pistari poterit, in ipso anniversario pauperibus distribuere annis singulis sit astrictus. Dictus tamen dominus Hermannus praedictum censum et redditus suis usibus quoad vixerit reservabit. Eo autem mortuo dicta bona cum omni iure et utilitate ad praedictam ecclesiam perpetuis temporibus pertinebunt, ut sacerdos qui pro tempore fuerit ipsi liberius valeat deservire. Et quia dictus compater noster Henricus de Slinitz bona praedicta a nobis et ecclesia nostra in feudum tenuit, ipse nobis una cum praefato domino Hermanno humiliter supplicavit, ut censum seu redditus praedictos saepedictae ecclesiae in Lubin appropriare gratiosius dignaremur. Nos itaque ipsorum precibus devotis atque iustis favorabiliter inclinati censum et redditus praedictos ad manus nostras per dictum Heinricum libere resignatos praefatae ecclesiae cum pleno iure et utilitate praesentibus appropriamus, donamus et tradimus nostri capituli consensu ad id plenarie accedente, volentes et decernentes bona eadem ad ius et tuitionem libertatis ecclesiasticae perpetuis temporibus inviolabiliter pertinere. Ut autem praemissa perpetuae firmitatis robur obtineant, praesens scriptum sigillo nostro duximus roborandum.

Nos quoque Waltherus praepositus, Conradus de Ztreliis senior canonicus totumque capitulum praedictae Misnensis ecclesiae appropriationem et donationem dictorum bonorum a reverendo patre et domino nostro episcopo praedicto factam approbamus, ratificamus ac ipsi liberaliter consentimus. In quorum evidentiam sigillum capituli nostri huic scripto duximus apponendum. Datum Misnae anno domini millesimo CCC°.XXVI°. in synodo benedicta praesentibus domino Lut. archidiacono Nisicensi, domino Alberto de Lysnik cantore, domino Hermanno praeposito Budissinensi, domino

a) Leuben, Eph. Meissen. b) Althöfchen, Par. Rüsseina.
COD. DIPL. SAX. II. 1.